



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K₁
 W 7.

iz 9C

Signat!

~~SSI~~

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
SEPTIMA
De
VERITATE

UT & DE
FALSITATE,
Quam

Summè Vero Jehovâ dirigente
Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII
Croppenstad. Saxonis.

In
ALMA LEUCOREA
Publicè defendet
GUALTHERUS ESKENIUS
Gryphisvaldensis Pomeran.

*Ad diem 14. Junij, horis matutinis
in auditorio minore.*



WITTEBERGÆ
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.
ANNO M DC XXIII.

DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
SEPTIMA
VERITATE

UT DE
FALSITATE

M. JOHANNIS SCHARFII

ALMA LINGORUM

GUASTHERUS ESKENIUS

WITTEBERGA

Ex Typographo CHRISTIANO THAMM

ANNO MDCXXIII



DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ
SEPTIMÆ

DE VERO.

αεγοίμιοι.

Nemo non doctorum summo cum dolore inaudi-
vit, quantas nupera tempestate turbas turbulenti quidam,
& semipagani Schillingiani excitarint de duplici, eaq; op-
posita veritate; quantum inde doctissimos viros exagitarint,
quanta impiè satis eructarint scommata, convitia, menda-
cia. Quæ deliria furibundaq; facinora, ut meritò quivis ingenuus, ac
veritatis studiosus exhorescit, ita in simul amore nativæ veritatis capia-
tur, inq; desiderium & aucupium ejusdem impensè incendatur oportet.
Et sanè quid delectabilius, quid desiderabilius, quid laudabilius, quid
admirabilius in mortalium *αἰμη*, quam veritatem tenere? *In omnium
ore jaçtitatur veritas*: Etiam mendacissimi quiq; veritatis nomine falsum
palliare præsumunt. Verum quomodo veritatem in exercitio appre-
hendes, nisi prius in universali, quid veritas sit, & quomodo illa se ha-
beat, exactius pensitaveris? Quomodo tantam illam concertationem
de simplici veritate, vel num una, num duplex illa sit, dignosces, nisi
hic limatius edoleris? Proinde ad tantæ rei disquisitionem appropera-
turi nunc in ordine disputat: *Metaphys: θεωρεῖται* veritatis paullo altius
persequemur, & quiditatem veri totamq; ejus naturam aliquanto fusius
excutiemus. Sint igitur cum Bono DEO sequentes

T H E S E S

I. Habuimus primam Entis affectionem, nempe U-
nitatem; nunc ergo sequitur altera, quæ est *Veritas*. Hæc
scilicet *Bonitate prior est*. Etenim Veritas dicitur in

A 2

ordine

Schillingij



1. ordine ad Intellectum; Bonitas verò ad voluntatem: Jam intellectus prior est Voluntate. Imò veritas Boni fundamentum est, solidumq; ab apparente distinguit. Rectè Suarez disp. Metaph. 8. ait: Bonitas unius cujusq; rei quodammodo in Veritate fundatur. Nulla enim res esse potest in sua specie bona, nisi prius in eadem intelligatur vera: nam ficta sanitas bona estimari non potest, sicut neq; ficta virtus honesta est, sed ut honesta sit, veram esse necesse est. Confer Gurkad. de Mendoza disp. 7. Metaph. p. 427. Javell. lib. 49. Met. 9.

2.
3. II. Alii adhuc alias dant rationes. Gutk. disp. Metaph. 4. thes. 2. Veritatem exinde censet priorem Bono, quia sit simplicioris denominationis. Verba ejus ita habent. Concesso hoc, quod simplicius denominans prius cognoscatur, erit etiam exinde deductum hoc à veritate minimè alienum, quod proprius est simplicissime denominanti, illud est & prius, scil: in genere & serie denominantium, si namq; illa, quæ in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt: Ergo etiam quæ in uno tertio magis conveniunt, magis quoq; inter se conveniunt; scil: quoad illud tertium. Atq; Unum & Verum magis conveniunt in simpliciore denominatione, quam Unum & Bonum. E. magis quoq; inter se convenient, quoad ordinis prioritatem. Probatum hoc è respectu, quem verum habet ad Intellectum: ubi bonum ad voluntatem refertur. Javellus lib. 4. quest. Met. addit etiam, quod Verum sit universalius Bono, eo quod consequitur Ens absolute. Bonum autem consequitur Ens actu. E. Bonum posterius Vero secundum conceptum sive secundum ordinatam apprehensionem intellectus.

4.
5. III. Scheiblerus lib. 1. Met. cap. 9. methodi hujus rationem succinctius proponit, ubi docet, quod post doctrinam Unius rectè agatur de Vero, quod Verum terminet Ens aliorsum; Unde necessario supponitur in se esse aliquod Unum, quod dicitur conformabile aliis: Alias enim non esset conformabile Ens, sed conformabilia; Et Veritas non diceret conforma-

ordina
s. A
mita-

mitatem, sed conformitates. Rursus rectè Verum antepo-
natur Bono. Nam non est bonum, nisi quod verè est, quod
est.

IV. Certi ergo de Methodo ad ipsam Veri signatam progre-
dimur: ubi initio tenendum, quod consideratio Veri sit vel
materialis, vel formalis. Materialis sive in actu exercito est,
quando veritatem quasi concretam sumo cum rebus: vel
uti Suarez docet d. l. contemplatio veri materialis sit, cogno-
scendo res & proprietates earum, prout à parte rei insunt. Et
sic veritas pertinet ad omnes disciplinas, quæ omnes verè
cognoscant sua objecta. Ita quid verè sit aurum docet Phy-
sicus: quid verè sit virtus, tradit Ethicus: quid verè sit trian-
gulum, docet Mathematica: sic & ipsa Metaphysica perse-
quitur veritatem, in quantum tractat, quid verè sit finitum,
universale, necessarium, imò quid verè sit veritas ipsa.

V. Posterior Veritatis consideratio nempe in actu signato
fit inquirendo, & signando quasi quidnam ipsa veritas for-
maliter sit in rebus, & quotuplex illa, & quomodo ad Ens
comparetur. Quæ pro varia Veri significatione ad diver-
sas pertinet disciplinas. Modò enim veritas opponitur men-
dacio, quæ dicitur veracitas & Veritas Ethica, & hæc directè
pertinet ad Ethicam: modò veritas opponitur falsitati, quo-
modo se habet veritas complexa, quæ est affectio propositio-
nis, vel vera propositio: & hæc est Logici peculiis: Sic &
Suarez Veritatem in significando, quæ reperitur in vocibus,
scripturis aut etiam in conceptibus, quos non ultimos vo-
cant, ad Dialecticam refert, in præf. disp. 8. modo Veritas
dicitur in cognoscendo, quæ reperitur in Intellectu cogno-
scente res, vel ipsa cognitione ipsarum rerum: & hæc ad
physicam spectat, quatenus is de Anima ejusq; functionibus
agit: Tandem Veritas dicitur in Essendo, quæ est in rebus i-
pſis, quæ & Transcendentalis dicitur; & hujus veritatis con-
sideratio per se, $\alpha\epsilon\omega\tau\omega\varsigma$ & directè pertinet ad Metaphysicam,
quatenus illa de Ente & ejus passionibus agit.

*Verum
T. male s. adhy. ex.*

Falsitas sign.

opponit mendac.
veritati.

2. Veritas signat.
ni.



VI. Interim rectè hic monet Suarius d. l. quod in Meta-
physica de omnibus non incommode disputetur: tum quia omnes
hæ veritates inter se habent convenientiam, & proportionem
aliquam ratione: cuius melius intelligantur: tum maxime, quia o-
mnis alia veritas si realis sit, aliquo modo sub veritate Transcen-
dentali continetur, si autem sit rationis, per analogiam & pro-
portionem ad veritatem realem declaranda est. Et ita nos in-
fra attingemus quoq; alias Veritatum, non transcendentali-
um, rationes.

VII. Nunc potiori cura naturam Veri Transcendentalis
excutiamus oportet. Ut vero & hic juxta nostram metho-
dum progrediamur, quatuor circa hæc veritatis pondera-
bimus. 1. Quiditatem ejus. 2. proprietates. 3. distinctiones
& 4. opposita.

VIII. Quiditas Veritatis ut rectè evolvetur, prius ho-
monymia Veri recognoscenda est. Sumitur enim Ve-
rum 1. pro cognitione veritatis: quo sensu dixit Plato, quod
amici cibus sit veritas in symposiis. 2. Veritate morali, de qua
Arist. 3. Eth. 3. pro eo, pro revera existit, & sic opponitur ficto
& apparenti: Unde illud, aliud est εἶναι aliud φαίνεσθαι. 4. pro
veritate vite, quando homo implet, quod Dei intellectus
ordinavit: 5. pro veritate justitie, quando homo servat, quod
debet legi. 6. pro attributo Entis, ut notat Finckius in disp. 5.
pag. 103.

IX. Nobis hæc Veritas est attributum Entis unitum &
simplex, estq; ipsius rei veritas, scil. inquirenda nunc venit illa
veritas, quæ est affectio Entis, qua entis, quæq; per se enti
competit. Talis nequit esse veritas cognitionis: hæc n. etiam
non entibus competit, neq; enim entia vera sejungit à non-
veris. Similiter nec alia è dictis esse potest, præter illam, quæ
est ipsius rei. debet enim Veritas Transcendentalis recurrere
cum omni ente, ipsiq; convenire, ut sic.

X. Quid ergo, inquis, erit illa Veritas Transcendentalis,
quæ est

quæ est ipsius rei sive entitatis, ut talis est? intricata sanè res
& dubia satis inter autores. Sunt qui putant *generalem ra-*
tianem veritatis esse segregationem rei cujuscumque ab alio sibi ex-
traneo positivo, quia scilicet ex communi usu verus lapis dicitur,
qui deputatur ab aliis, qui non sunt veri. Sed isti potius Entis
ipsius conditionem indignant, quam veritatem. Quodli-
bet enim per suam propriam essentiam vel formam segrega-
tur ab omni alio, quod non est ipsum. Unde merito Petrus
Gurtad. de Mend. disp. 7. s. 1. respondet ex Thom. q. 1. de Ver. art. 1.
Lapides istos vocari veros per deputationem, non formaliter,
sed fundamentaliter. Imò si illa segregatio rei ab aliis respi-
ceret affectionem aliquam entis, potius ad Unitatem esset re-
ferenda, cujus consequens infert divisionem ab aliis, ut ita ens
indivisum sit quasi segregatum per essentiam suam ab aliis,
quæ non sunt ipsum. Illa E. opinio non dicit formaliter i-
psam rationem Veri.

XI. *Rhadus in pervig. Jovis t. bet. 28.* ait: *Verum est pro-*
priorum essentia signorum possessio. Et hæc descriptio non at-
tingit quidditatem Veri. Etenim *possessio* in proprio significa-
tu infert *conceptum predicamentalem*: dicitque habitationem
rei, quæ omninò distat ab re, quæ habetur vel possidetur.
Ut si dico: *iste possidet aurum*, ibi sanè possessio auri non est
ipsum aurum. Quod si nunc illo proprio significato veritas
dicatur possessio signorum essentia priorum, sanè com-
positio & concretio fiet non minima in Vero: quæ tamen
omninò repugnat Vero ut sic. Deinde si largius sumantur
termini quoad modum concipiendi nostrum, non tamen at-
tinget illa *possessio signorum essentia* ipsam rationem Verita-
tis, sed *diceret aliquid de conditione Entis*: nimirum quod o-
mne Ens habeat propria signa suæ essentia, & quidem pro-
pterea, quia ens est quod possidet signa essentia propria, ut i-
ta à posteriori essentia describatur, quod sit priorum es-
sentia signorum possessio. Et quid? quæro, *quid sit haberet*
signa

Quid?
1. Opinio

2. Opinio

signa essentia propria. Annè est possidere proprietates rei, & effectus proprios? ita erit. Sed hoc ipsum exprimitne formalem rationem Veri? non fanè. Illud enim ad entitatem ipsam essentialiter perfectam insequitur: Etsi maximè mediante vero: Tamen non inde efficeretur ratio formalis, sed saltem consequens, *nempe ad essentiam, ut veram sequeretur possessio signorum essentia priorum.* Hoc scilicet foret propterea, quia ens esset verum, cuius ratio adhuc esset inquirenda, nimirum in quonam consistat illa veritas rei formaliter & præcisè. Linquamus ergo Rhædi opinionem.

3^a opinio.

XII. *Didacus Masius lib. 4. de Ente pag. 418. ait. Veritas rei est proprietas sui esse, quod est cuilibet rei à natura definitum.* Quo sensu verum dicitur ens eo, quod habeat esse sibi præfinitum à natura: adeoq; Verum est ens, quatenus habet id, quod per naturam debet habere. Et hæc sententia propius accedit ad ipsam quiditatem Veri: Ex communi enim more loquendi notum est, quod *vocitemus Verum id, quod est, uti esse debet.* Sic vera effigies dicitur, quæ est, uti esse debet: vera scriptio, quæ est, uti esse debet. Sic verus calceus dicitur, quando est efformatus, ut debet efformari: sic vera pietas est, quando est, ut debet esse. Sic vera propositio dicitur, quæ est, ut juxta conditionem rerum esse debet. Sed tamen hæc sententia nondum plenè & formaliter exprimit veritatem ut sic. E. ulterius progrediendum.

4.
XIII. Ita *Combachius lib. Metaph. c. 6. p. 70.* paullò accuratius rem hanc complet: *Veritas rei est participatio talis essentia, quæ cuiq; in eà specie debetur, quatenus ad intellectum sive ideam suam ordinatur.* Sic Veritas hominis est, participare esse humanum in animalitate & rationalitate, hoc enim esse homini debetur secundum eam ideam, quando ab intellectu divino participat, ita E. innuitur, quod *Veritas importat ordinationem sive relationem ad intellectum sive ideam suam, videlicet secundum quam esse ipsius normetur, an sit uti esse debet.*

XIV. Re-

XIV. *Relatio illa, quam Veritas dicit ad suam ideam si-
ve normam sui esse, necessario est conformitatis & congru-
entia.* Nisi scilicet conformetur esse entis suae normae, jam non
habebit esse, quod habere debet. E. neque Verum esse habe-
bit. Ergo quia verum habet esse id, quod debet habere, si-
ve quod ipsi debetur in tali specie, consuetarium sanè est pla-
nissimum, quod *Verum dicat relationem congruentiae ad suam
normam*: siue quod verum eo ipso, quia verum (hoc est for-
maliter) dicat conformitatem cum sua idea, siue cum in-
tellectu, qui est norma & mensura esse debiti.

XV. Hoc ipsum optimè intellexit Combachius, ideo i-
bid. c. 6. p. 68. ait: *Verum est ens adequatum intellectui.* Dicitur
enim quæquæ res vera, prout ad intellectum refertur. Et p. 77.
in Comment. ibid. pergit. Ut enim ens dicitur in ordine ad
esse, ita ens relatum ad intellectum, dicitur esse verum. Ac
ita verum intrinsecè dicitur ens; hoc vero, quo verum ab ente
distinguitur, est *habere additam relationem ad aliud* nimirum
ad intellectum.

XVI. Et ita etiam omnes accuratiores Metaphysici Ve-
ritatem sumunt, & describunt per relationem (congru-
entiae) ad intellectum. *Fonsca l. 4. Metaph. c. 2. p. 799. ait. Ve-
ritas est conformitas rei & intellectus.* Cujus & verba & sen-
sum retinent *Scheiblerus lib. 1. Met. c. 9. Dn. Cornelius Martini
in Metaphysicis de Vero. Sic & Favellus lib. 6. quest. Met. 13.
ait. Veritas est adequatio rei & intellectus.* Idem habet & *A-
lexand. de Ales. 6. Metaph. text. 8. Armand. de Bello visu tract. 2.
Expl. Term. c. 24. Unde & Masius lib. 4. de Ente ait. Verum
est adequatio rei & facultatis cognoscendi. Werenbergerus
Exerc. Metaph. 7. theor. 5. ait. Veritas est conformitas inter
rem & intellectum. Quod idem loquitur Gilbertus Jacchaus
in Instit. Met. lib. 2. cap. 10. Eodem sensu hodierni doctores
Metaphysicæ omnes, si qui sunt subtiliores, dicunt, quod *Ve-
ritas sit conformitas rei cum intellectu.* vel. Veritas est con-
gruentia*

B

gruentia

gruentia rei cum intellectu. Qualiter docet Excell. Dn. Jac. Mart. præcept. noster honorandus passim in suis scriptis Metaphysicis. Item Dn. Arniseus Epit. Metaph. de Verò. Dn. Gutkius contempl. Metaphys. disp. 4. Barthol. in Enchir. Metaphys. c. 3. Rutgersius instit. Metaph. lib. 1. p. 92. Finckius disp. 5. p. 105. Rathmannus disp. Metaph. 6. & c.

XVII. Aliàs & determinatius solet Veritas definiri in respectu ad intellectum divinum, (non exclusivè, sed cum regulò sumendo.) Sic Dn. Jac. Mart. in part. Metaph. lib. 1. sect. 5. ait. *Veritas est congruentia rei cum intellectu & quidem potissimum cum intellectu divino.* Inde est, quod Dn. Gutkius simpliciter dicat disp. 4. thes. 9. Veritas est conformitas rei cum intellectu divino.

XVIII. Hinc E. cum Suarezio disp. 8. Metaph. ex communi omnium consensu supponimus *veritatem realem consistere in adæquatione quadam seu conformitate inter rem & intellectum.* Quod ipsum quoq; ex communi loquendi more notum est. Si dicimus veram effigiem esse illam, quæ est conformis ideæ sive intellectui artificis. Quando nimirum effigies est, uti esse debet, tum eo ipso correspondet artificis conceptui, quo ipsam à re ipsa conceperat, & secundum quem volebat effigiem effigiare, & ita rem conceptam picturâ suâ repræsentare. Sic *vera cognitio* dicitur, quando illa adæquatur & conformatur rei, cujus est cognitio: sic *vera propositio* dicitur, quæ est ipsis rebus conformis & consentit cum re, quemadmodum ex Logicis perquam notum est.

XIX. Ut verò hæc omnia melius & verius intelligantur, adhuc singula verba positarum definitionum juxta mentem illorum autorum explicabimus. Primò dicunt *Veritatem esse conformitatem, sive congruentiam sive adæquationem.* Hæc videlicet tria vocabula hæc in loco ipsis sunt synonyma. Ubi observandum quod *non quamvis intelligant conformitatem, quæ cernitur inter res quasvis præcisa omni cognoscendi*

scendi potentiâ, sed illam duntaxat, quæ est inter rem & potentiâ cognoscendi intellectivam. Nam quæ ad sensus pertinet, ea non ad omnes res funditur, nec est homini propria. Igitur ea sola definitur quæ inter rem & intellectum est conformitas. *Fonsæca lib. 4. Metaph. c. 1. quest. 6. sect. 8.* Idem iudicandum est de congruentia, quæ debet esse cum intellectu. Sic & adequatio intelligitur, non quæ est quantitativa, quâ plura habentia unam quantitatem dicuntur adinvicem æqualia sive adæquata; sed quæ est adequatio correspondentie, ut res tale esse habeat, quale in mente intelligitur habere.

XX. Addunt etiam, quod *conformitas* illa sit vel *Actualis* vel *Aptitudinalis*. *Illa* Actû est in rebus, & consistit in hoc tantum, quod res talis sit, qualis actû intelligitur: *hæc Aptitudinalis* in eo consistit, quod res talis sit, ut vero & proprio conceptu talis res intelligi possit. *Utraq; conformitas*, inquit *Fonsæca. d. 1. non consistit in essendo, sed in representando,* quia anima nostra repræsentat potentiâ omnia: quia ratione intellectus est quodammodo omnia, ut docet *Arist. 5. de anima c. 8.* Utramq; vero conformitatē nonnulli hic intelligunt, quando Verum per conformitatem definiunt, ut *Suarez disp. 8. sect. 7. n. 29. alii Aptitudinalem sufficere censent,* ut *Scheibl. l. 1. Met. cap. 9. tit. 5. n. 29. Masius* insuper addit, quod *conformitas* sumatur vel *active* vel *passive*, illo modo pro ipsa similitudine ab actione mentis proveniente: *passive* vero pro re, per huiusmodi similitudinem intellecta & repræsentata, primo modo dicit conformitatem competere etiam ideis & veritati mentis: altero modo rei veritati. *lib. 4. de ente pag. 420.*

XXI. Porro in definitionibus istis datis illa conformitas, quam Verum dicit, determinatur *ad intellectum*, ut Veritas, quâ talis, importet conformitatē cum intellectu, quod ipsum quomodo velint intellectum, operæ est inquirere. *Suarez princeps Metaphysicorum disp. 8. sect. 7. n. 25.* dicit Veritatem

transcendentalem significare entitatem rei *connotando cognitionem sive conceptum intellectus*, cui talis entitas conformatur, vel in quo talis res repræsentatur vel repræsentari possit, prout est. Existimo enim, pergit, hunc Veri entis conceptū esse virtualiter comparativum unius rei vel naturæ ad proprium conceptum ejus rei, quæ vera esse dicitur. Sic v. g. ad profitendum Eucharistiæ mysterium dicimus *panem Eucharisticum esse Verum corpus Christi*, ubi per verum corpus nihil aliud significamus, quàm illud idem corpus, quod per proprium & verum conceptum corporis repræsentatur. Et similiter ad confitendum mysterium Incarnationis dicimus, *Deum esse verum hominem*, id est habere illam naturam, quam in essentiali specie hominis verè concipimus. Hoc ipsum voluit dicere Hervæus, quando quod lib. 3. q. 1. art. 2. ait. *Veritatem esse conformitatem rei prout est in se ad se ipsam ut objective conceptam*. Item Durandus in 1. dist. 19. q. 5. quando è contrario ait, *Veritatem esse conformitatem rei, secundum esse objectivum ad se ipsam secundum esse reale*. Scil. uterq; intellexit veritatem nil addere præter denominationem ortam ex conjunctione & proportione, quæ est inter rem & intellectum. Saltem ipsi declarant per objectivum conceptum, quod alii per formalem. Quia vero conceptus objectivus nihil addit præter rem nisi denominationem termini conceptus formalis, ideò per illum non rectè explicatur conformitas Veri. E. *Veritas dicit conformitatem inter rem & conceptum formalem*. Et ita dicitur Verum importare relationem rationis ad intellectum. Hoc enim intelligendum est de mutua connexionione rei & conceptus, & connotatione unius ut correspondentis alteri, quæ quia per modum relationis concipitur, ratio rationis dici solet.

XXII. Præterea ibidem docet Suarez. *Veritatem Transcendentalem posse explicari & in ordine ad intellectum divinum & ad creatum: item in ratione cogniti & cognoscētis, si uni-*

si universaliter de ente *Veri* loquamur; vel in ratione causati & causa, vel mensurati & mensura, si de ente creato seu artificiali sermo sit. Quæ singulatim probat, & in specie ostendit, quod conformitas Veri & Transcendentalis, necessario solum sumatur in ratione cognoscentis & cogniti. Quia in Deo, inquit, non potest aliud genus conformitatis intelligi, cum non sit Ens dependens, neq; mensuratum. E. Verum Transcendentale in tota latitudine sua sumtum non potest dicere conformitatem ad intellectum ceu causam vel mensuram, sed tantum ut ad representantem, seu cognoscentem.

PROVISA
TERTIA

XXIII. Idem docet *Versor* in *quest. sup. Metaph. Arist. ad lib. 4. quest. 6.* Ens, inquit, & verum eandem naturam important, sed diversimodè. Nam sicut res per propriam formam, per quam ponitur in actu, habet per se Ens. Ita per eandem formam nata est, se ipsam intellectui representare & de se ipsa facere veram existimationem. Et ex hoc res sortitur denominationem *Veri* & dicitur vera. Et hoc loquendo de re naturali per comparisonem ad intellectum nostrum speculativum. Item dicitur Vera, quia per formam suam adæquatur præconceptioni intellectus divini, quam habet de ipsa re. Sicut hoc modo dicitur res artificialis vera, in quantum per comparisonem ad intellectum nostrum practicum conformatur præcognitioni practicæ intellectus nostri de ipsa re. Patet E. quod quidem res ab eodem habeat, ut sit *Ens* & vera, sed tamen non habeat denominationem veri nisi per habitudinem ad intellectum, quam habitudinem addit nomen veri supra nomen *Entis*. Ideò convenienter definitur veritas, quod sit adæquatio rei intellectæ ad intellectum.

XXIV. Quando ergo dicunt Metaphysici Veritas dicit congruentiam rei cum intellectu, sumunt intellectum ad modum cognoscentis. Rectè *Fons. l. 4. c. 2. q. 6. sect. 8.* ait. *Intellectus hoc loco non est in se spectandus, sed secundum quid ipsi adventitium: nempe quatenus per species intelligibiles ipsi res con-*

jungitur & conformatur. Nam sunt 4. genera rerum, quæ intellectui nostro naturaliter adveniunt. 1. *species intelligibiles*, quæ sunt formalia principia actuum intelligendi. 2. *conceptus formales*, quod internè actus intelligendi terminant. 3. *ipse actus intelligendi*. 4. *Habitus ex actibus genitus*. Quorum duo posteriora hic removentur, & saltem conformitas Veri erit inter rem & speciem intelligibilem, & inter rem & conceptum formalem. Propriè autem & accuratè loquendo Veritas saltem dicit conformitatem inter rem & conceptum formalem: uti quoq; supra è Suario monuimus.

XXV. *Scheiblerus*, ubi Verum per conformitatem explicat, ait *rem conformem esse intellectui nihil aliud esse, quam esse talem, qualis secundum essentiam suam intelligitur, vel intelligi solet aut potest.* Sic *Verum aurum esse*, nihil aliud est, quam tale aurum esse, quale secundum principia sive essentialia esse intelligitur. Et verè est corpus, quod est tale, qualia secundum essentialia principia corporis intelligi solet. Hinc secundum Scheiblerum res vera dicitur quæ est talis, qualis à Deo vel angelis aut hominibus res esse in tali essentiâ intelligitur vel intelligi potest, veluti aurum verum est *daß Gott und der Mensch vor Gott erkennen* / quomodo lingua nostra loqui solemus. vide ipsum, c. 9. l. 1.

XXVI. Sed accuratius explicatur ita, *Veritas hæc (Transcendentalis) dicit ipsam entitatem rei cum quadam reflexione nempe ad intellectum.* Licet autem *per intellectum divinum veritas rei insit*, illa tamen, *ut jam inest*, dici potest ipsa *entitas rei cum reflexione supra illius cognitionem, sive cum quadam connotatione cognitionis illius rei propria, hoc est, in qua illa representatur aut representari potest, prout est, ita ut hic veri Entis conceptus virtualiter sit comparativus ipsius entitatis rei ad proprium illius conceptum.* c. g. Plato dicitur *verus homo*, quia habet talem naturam & entitatem, ut si concipiatur tanquam *homo*, illa cognitio sit habitura conformitatem cum suo ob-

fuo objecto, hoc est sit Platonem representatura, prout ipse est. Quare autem hoc? Quia nimirum ab intellectu quodam, nimirum divino, ita est positus Plato. scilicet secundum ideam hominis in intellectu Dei existentem. *Plato est homo*, quare etiam rursus cum intellectu nostro potest ita conformari, & ejusmodi conformitatem efficere. Intellectus enim noster à posteriori imitatur intellectum divinum. confer Rutgers. lib. I. cap. 15.

XXVII. Sic E. autores isti explicant Veritatem, ejusque conformitatem unicè & simpliciter sumunt *in ratione cognoscentis & cogniti*, prout de Vero in Universalis sermo est. vide & *Fonsæam* ubi 4. *Metaph. cap. 2. sect. 9.* conformitatem Veri exposuisset per modum mensuræ & mensurati, agnoscit tamen, non satis benè Deum posse aliquid mensuratum dici.

XXIX. Interim & hoc observatu dignum est, quod non incommodè etiam Veritas declaretur per conformitatem *ad suam normam*, uti illa conformitas Veri in ente determinato, particulari & dependente perspicuè satis elucet. Sic Intellectus divinus, uti est causa essentiæ & creaturarum, sic etiam norma Veritatis ipsarum, cui quando concordant, esse verum habere censentur. Hinc etiam *Werenbergius Exerc. Met. 7. theor. 5.* ait *causa semper est norma & regula, ex qua de natura effectus judicandum est.* Atque intellectus divinus causa est, ex qua pendent omnia, quæ in natura rerum sunt. Quare etiam norma & mensura eorum dici potest & debet. Imò sacræ literæ ad hanc normam nos revocant, quando toties illud solenne verbum in historia creationis repetunt: *dixit Deus & facta sunt.* Hoc nempe volunt, quod *res omnes ideò dicantur veræ: quia tales sunt, quales Deus esse voluit, prout eas ordinavit, prout etiam futuras prævidit.*

XXIX. Hanc in rem eleganter notant Metaphysici accuratiores, quod res duplici modo comparari possint ad intellectum: uno essentialiter, alio accidentaliter. *Essentialis rerum*

posteriori
S. H. A. v. m.

AB



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.
63.
64.
65.
66.
67.
68.
69.
70.
71.
72.
73.
74.
75.
76.
77.
78.
79.
80.
81.
82.
83.
84.
85.
86.
87.
88.
89.
90.
91.
92.
93.
94.
95.
96.
97.
98.
99.
100.

rerum ordo, sive habitudo ad intellectum is est, quando intellectus causa existit ipsarum rerum: eo modo quo intellectus divinus dicitur causa omnium rerum à se diversarum. Ordo rei accidentalis ad intellectum dicitur, quando ab ipsis rebus Intellectus movetur ad intelligendū, & ita à rebus mensuratur ipsi suam similitudinem imprimendo. Ejusmodi habitudo est rerum naturalium ad intellectum humanum vel artificis, non quod ab ipso fiant, sed quod ab eo cognoscantur. *Combachius c.6. Metaph. in comment. p.78. it. Dn. Jac. Mart. in colleg. Metaph. publ. disp. 4. thes. 11. & seqq.* qui ibi addit, quod hæc (Accidentalisis habitudo) non semper sit adequata, nec propriè hujus loci: illa autem semper, nisi per accidens à natura oriatur in natura, & est propriè hujus loci. *Dn. Gutkiius Contempl. Metaph. disp. 4. thes. 18. & c.*

XXX. Idem inculcat *Armandus de Bell. visu tract. 2. Expl. Term. c. 24.* ubi docet, quod res habeant ordinem ad intellectum vel per se vel per accidens. Per se, inquit, habet ordinem illa res ad intellectum illum, à quo secundum suum esse dependet, & à quo cognoscibilis est. Et isto modo dependet domus ab intellectu domificatoris & generaliter habet omne artefactum ab artifice. Alio a. modo res habet ordinem ad intellectum per accidens, quia scilicet non dependet ab eo secundum esse suum; Sed solum quantum ad cognosci, quia accidit rei quod cognoscatur. Et sic lapis dependet ab humano intellectu. Confer *Suarium disp. 8. sect. 5. p. 185.*

XXXI. Inde porrò colligit *Armandus ibid.* hoc modo. Indicium sumitur de re juxta illud, quod inest sibi secundum se, & non secundum illud, quod inest secundum accidens. Quia res non dicitur vera, nisi per ordinem ad intellectum vel practicum, à quo dependet, quam ad esse & cognosci: vel speculativum, à quo dependet, quam ad cognosci solum: sequitur, quod Veritas, quæ est in rebus, sit magis Veritas, secundum quod dependet ab intellectu practico & speculativo, quam secundum quod dependet solum ab intellectu speculativo.

XXXII.

XXXII. Hoc itaq; sensu & modo Veritas rei dicet conformitatem ad intellectum, à quo esse habet juxta ideam illam, ex qua esse rei mentimur. Et hoc est quod *Combacius* scribat d. l. ideam, in iis, quæ dependent, posse dici essentialem rationem, secundum quam quodlibet verum dicitur: Naturalium quidem est idea, secundum quam dependent ab intellectu divino: artificialium verò, secundum quam res istæ dependent ab intellectu humano arte informato. (*Idea illa est ali-*
quod cognitum à principio effectivo intellectuali, ad quod activum respiciens potest aliquid inesse reali producere, ut
describit Combacius 6. Metaph. ex Guilbelmo 1. d. 35. q. 5.)

1.
2.
Idea

XXXIII. Et sic jam istis autoribus res veræ dicuntur, quatenus ad intellectum conformantur, proindeq; ab intellectu qui earum rerum mensura est, mensurantur. Et sic docent quod Veritas Transcendentalis explicari possit *in ratione Mensurati & mensuræ, itemq; in ratione causæ & causati*, nimirum Veritatem importare conformitatem ad intellectum, tanquam ad suam normam sive mensuram. *Scat.*

XXXIV. Hæ sunt sententiæ & opiniones *Metaphysicorum, de quiditate Veri*, quod dicat congruentiam rei cum intellectu, & quidem *in ratione cogniti & cognoscentis*, ut ex priorè sententia posuimus, vel *in ratione normæ & mensurati* uti ex posteriore innotuit. Quæ duæ opiniones, si suo sensu & modo accipiantur, nihil falsi continent, sed *utraq; suam in se habet veritatem*, ubi dextrè sumitur & explicatur: uti idipsum è dicendis elucescet.

XXXV. Præmissis *aliorum de Vero opinionibus*, quas ad uberiores abstrusæ hujus rei cognitionem præsupponere volumus, breviter nunc quoq; & *nostram sententiam adjiciemus*. Et ut planius pleniusq; quiditatem Veri eruamus, considerabimus *Veritatem*, ejusq; *formalem rationem* inquiremus, tum *in Universali*, tum quasi *in Particulari*, utrinq; ostendendo & indagando *normam sive rationem scilicet ideam*

C

juxta



TRITIA
& QUARTA.

juxta quam exigatur ipsa Veritas, & secundum quam esse rei verum dici mereatur.

XXXVI. *In Universalis Veritas consideratur, quando in ultima abstractione perpenditur Veritas Entis ut sic, præcisa veritate creata & increata, dependente vel independente: Et ita propriè & primò hic consideratur Veritas Entis, quatenus est Transcendentalis.* Non secus ac Ens solemus in Universalis spectare, non attendendo, an sit creatum vel increatum, &c.

Veri
materiale

XXXVII. Quando nunc Universaliter Veritatem expendere volumus, primò omnium attendamus oportet, quod *in Verò, ut sic, duo implicentur Materiale & Formale. Materiale veri est ipsa entitas & essentia, quæ quasi subst at & substernitur veritati* formaliter sumtæ, ita tamen ut intrinsecè & essentialiter in Verò implicetur. Quemadmodum enim omnes reliquæ affectiones Entis in adæquato suo significato Entitatem ipsam implicant: quomodo Unitas non solum erat indivisio sed entitas ipsa Indivisa, sic etiam *Veritas essentialiter dicit ipsam entitatem*; Licet hanc non notet formaliter, sed *materialiter, & quasi subjective*. Non enim Veritas (ut etiam alia attributa Entis) habet aliam entitatem ultra entitatem subjecti. E. positivam suam essentiam habet implicando ipsam entitatem subjecti. Quod ipsam etiam in attributis divinis cernere licet. Sic *miserordia DEI non est alia entitas ab essentia DEI, neq; est sola habitudo DEI ad actus miserandi, sed est ipsa divina essentia sumta cum hoc respectu, nimirum ad actus miserandi*: idemq; est in aliis divinis attributis propter identitatem realem essentiæ divinæ ejusque attributorum.

simile.

Formale

XXXVIII. *Formale autem Veri est illa ratio & conceptibilitas Veri, qua de se & à priori distinguitur ab affectionibus Entis, quæq; ratio quasi superinducitur essentiæ vel entitati veræ dictæ, adeoq; constituit ipsam veritatem rei ut sic.*

Hanc

Hanc quando habemus, & ipsam quiditatem Veri obtine-
mus. Hæc scilicet est *illa ratio, per quam Verum Ens est verum,*
quæq; ad eò veritatem ipsam verè definit & quiditativè ex-
plicat.

XXXIX. Hæc autem formalis ratio Veri ut melius fa-
ciliusq; percipiatur, annotetur, quod *Veritas* ex duobus ca-
pitibus possit explicari *Negative & positive.* Illo modo popu-
lariter explicatur & ita *Veritas infert negationem fictionis si-*
ve negationem apparentia. Unde Veritas erit essentia carens
fictione, vel ens non solum habens apparentiam. Quo sen-
su *verum Ens est illud, quod non saltem apparet ita esse, sed se-*
cundum se omnino ita est, ut esse debet sic & verè esse dicitur,
quod non est *Φαινομένως*, itemq; quod non fingitur ita esse.
Sic *verus homo* non dicitur id, quod non est fictus homo, vel
solum apparens homo: sic *verus Christianus* est, qui non sal-
tem apparet esse Christianus: sic *verus amicus* dicitur, qui
non est fucatus aut saltem apparet esse amicus: sic *verus Syl-*
logismus est, qui non saltem apparenter est verus. Sophisti-
cus autem, quia non verè colligit aliquid, sed saltem videtur
colligere, falsus dicitur.

XL. Unde *Veritas* ut infert *Suarez disp. 8. sect. 7. num. 17.*
sic explicanda est *per principia rei intrinseca ut verus homo di-*
catur, qui essentialibus principiis hominis constat, in quo supra
entitatem nihil additur, nisi negatio fictionis & apparentia. Sic-
ut Unitas significabat entitatem ut indivisam, hoc est, cum
negatione divisionis vel multitudinis: ita Veritas hoc mo-
do significat entitatem cum negatione apparentia. Quem
modum declarandi Veritatem *Scheibl. lib. 1. Metaphys. cap. 9.*
judicat commodum: nos illum *in gratiam tyronum* tanquam
popularem & faciliorem admittamus.

XLI. De hinc *positive* & accuratius explicatur Veritas,
ostendendo, in quonam consistat *formalis ratio Veritatis,*
& ita indagando, quid propriè & præcisè veritas sit. Ubi pri-
mum

Veri formata
descriptio
I. Negative

2 positive

mum è dictis constat, quod *veritas inferat respectum rationabilem*, quodq; sit *affectio Entis respectiva non absoluta*. E. supponimus Veritatem formaliter importare aliquam relationem & habitudinem ad aliud.

XLII. Imò & hoc *ex confessione accuratiorum Metaphysicorum, ex usu loquendi & ex rationibus supra thes. 13. 14. 15. 16. & seqq. appositis suppono*: Veritatem importare de se congruentiam sive conformitatem rei cum intellectu. Quibus positus & alibi probatis dico, quod *formale Veritatis sit relatio rationis de se conformitatem rei cum intellectu significans*. Ubi tamen observetur, quod hæc conformitas non sit *relatio rationis ratiocinantis*. Non enim à sola mentis operatione pender; sed à parte rei fundatur: neq; *predicamentalis*; non enim datur fundamentum à suo subjecto distinctum: sed est *Transcendentalis* ut notet adæquatam habitudinem rei vel entis ad intellectum.

XLIII. Et *in hoc formali veritatis* accuratiores Metaphysici omnes conveniunt, neq; difficultas in illo est ulla, sed maxima *difficultas est in sensu & explicatione istius Formalis*. Alii, ut in priore opinione supra visum fuit *sumunt conformitatem istam Veritatis in ratione cogniti & cognoscentis*. Ut verum dicatur, quod sit *conforme cognitioni sue propria, vel intellectui cognoscenti illam prout est*, vel quod suo conceptui formali adæquatur vel adæquari potest. Confer ea, quæ de hac opinione diximus in thes. 21. usq; ad thesin 27. Alii vero illam *conformitatem veri explicant in ratione mensurati & mensura*, ut ita Veritas formaliter dicat *conformitatem rei cum intellectu tanquam cum sua norma, vel quatenus iste est norma seu mensura esse veri, quod ens verum obtinet*. De qua opinione dictum est thes. 28. usq; ad thesin 32. ubi recognosces.

XLIV. Difficultas E. in eo consistit, an Intellectus in definitione Veritatis debeat sumi, *ut cognoscentis*, an vero *ut norma. Prior*

Falshahrvan

1. Opinio

2

ma. Prior opinio modo recensita conformitatem veritatis in
universali sumtæ videtur accipere in respectu ad intelle-
ctum, ut cognoscentem. Altera vero posterior superius ad-
ducta sumit conformitatem veri ad intellectum ut normam
sive mensuram.

XLV. Sed hac in re nostra sententia est, quod Intelle-
ctus prout ad illum conformatur Veritas ut sic in Universali,
non determinatè debeat intelligi prout est vel cognoscens vel
mensurans, sed indifferenter, prout præscindit ab istis modis de-
terminatoribus cognoscendi & normandi. Ita E. dicendum
puto. Veritas formaliter dicit conformitatem rei & intel-
lectus, ut sic, quatenus is est idea, secundum quam esse rei exigi
debet, cui si conforme deprehendatur, verum esse habere
judicetur. Non quidem ideam sumendo contractè prout
dicat rationem normæ, quatenus ex illa per modum depen-
dentiaæ æstimatur esse rei. Sic enim non in universali Veritas
Entis ut sic explicaretur, sed saltem entis creati & dependen-
tis conformitas ostenderetur: sed intellectus quatenus ipsi Ve-
ritas ut sic conformatur, nunc supponit simpliciter pro idea, qua-
tenus illa est ratio Imitabilis in intelligente, cui quando esse rei
per modum Imitationis (ut ita loquar) vel correspondentie ex-
actè conformatur, esse verum habere censetur. Quando scili-
cet esse quod vis verè imitatur suam ideam propriã, tum esse
habet, quod debet habere. Et inde statim verum esse habet:
Planius dicam quod volo. Quando Ens ex parte rei ut sic
objectivè sumtum se habet, ut idealiter exprimitur in intellectu
per suam adequatam ideam; tum ipsi statim adequatur, vel
conforme est per modum Imitationis sive correspondentie, & in-
de statim resultat denominatio Veri: ut illa conformitas entis
ut sic cum intellectu sive idea sua adequata & propriã for-
maliter importet veritatem rei essentialem. Et sic dico quod
veritas declaranda sit per conformitatem rei ad intellectum,
indifferenter sumtum, prout præscindit ab intellectu ut rem

apprehendente (puta quatenus intellectio illa posterior est re ipsa, quæ cognoscitur, & sumitur à re jam inesse suo positâ) itemq; ab intellectu prout est norma sive causa rei.

XLVI. Ergo hîc *in Verò Universaliter sumto normam, propriè dictam per modum dependentiæ non habemus, sed saltem rationem exigentiæ sive idealem expressionem*, qua ut adæquate esse rei in intellectu repræsentatur, sic ipsi quando correspondet ex parte rei quoad modum imitationis, verum esse judicatur. Hæc nos de Veritate, ejusq; formali ratione transcendentaliter sumta subjicere volumus, ut scilicet ansam altioribus ingeniis daremus hanc abstrusam rem fusius & accuratius in universali ponderandi explicandiq; : utq; & materiam disputandi uberiores subministraremus.

Veritas in particulari

LXVII. Porro *in particulari* quando Veritas spectatur, res est facilior. Attendimus ita Veritatem vel prout est *entis increati* nimirum Dei, vel prout *est creati & dependentis*: illa *increata Veritas* dici potest, hæc *creata*. Ut autem ibi Veritas variat pro varietate entis, sic etiam illa conformitas veri sive illa habitudo essentialis rei ad intellectum aliter atq; aliter se habet. Hinc breviter docent, quod *adequata habitudo Veri entis* (puta ad intellectum) *sit duplex: vel enim intellectus immediatè fertur super hoc, quod idem sibi ipsi est, ut est veritas divina: vel ut ens dependet ab intellectu secundum illam ideam, ex qua esse rei metimur; Combachius lib. Metaph. 6. cap. pag. 68.*

Veritas Dei

XLIX. Quando igitur quæritur *de Veritate Dei*, quomodo illa se habeat, quomodo referatur ad intellectum, respondetur *ut se ipsum manifestantem*: est enim Veritas Dei nihil aliud, quam pura relatio ejusdem ad se ipsum, ut docet *Arniseus disp. Met. 4. thes. 24.* Unde etiam *Dn. Jac. Mart. lib. 1. Exerc. 16. thes. 4.* ait, Verus dicitur Deus propter semetipsum, quia sibi ipsi mensura est, ut sibi met ipsi Veritas & perfectio, vide ibidem plura.

XLIX.

X L I X. Cæterum *de creata Veritate* non opus est, ut multis laboremus. Quia enim *res creata dependent juxta suum esse* à causa producente: illorum *esse verum* erit, quando *cum intellectu producentis* concordant, hoc est, quando cum idea secundum quam productæ sunt ab agēte intellectuali conformantur. *E. veritas rerum dependentium explicanda est in ratione mensurati & mensura.* Quod ipsum supra diximus, ubi in dependentibus idea dicebatur essentialis ratio, secundum quam quodlibet rerum dicatur. Confer & ea quæ diximus in thes. 28. 29. 31. &c.

L. *Norma hujus Veritatis est intellectus*, non humanus, cum hîc sæpè falsus existat super rebus in veritate sua manentibus, sæpeq; aberret & fallatur *Dn. Jac. Mart. Exerc. 16. Met. l. 1. theor. 4. Dn. Gutk. disp. 4. Met. thes. 55. sed divinus*: quia scilicet conformitas Veri debet ad infallibile referri, id quod soli intellectui divino competit. Confer Fons. l. 4. c. 2. q. 6. sect. 10. Mas. lib. 4. de Ente cap. 2. Werenb. Exerc. Metaph. 7. &c.

L I. Refertur verò *Veritas Entis producti ad intellectum, divinum, non ut cognoscentem tantum, sed ut creantem & manifestantem omnia.* Ut enim artificialis effectus tum demum proclamatur verus, quando elaboratus est ad effigiem ideæ in mente artificis: ita res quævis dicitur vera, quando conformis est ideæ in mente divina, vel est ut Deus eam esse voluit, vera inde dicitur *Veritate Transcendentali*, idq; quoad productionem & constitutionem.

L II. Et ita se habet *Norma* omnis Veritatis dependentis *adequata Universalis & prima*, quæ est solus intellectus divinus: licet vero artificiales immediatè referantur ad intellectum humanum *ceu normam suam*: tamen etiam mediatè referuntur ad intellectum divinum: *cum omnis ars sit donum Dei.*

L III. Ut vero effectus causæ universalis non eodem eodemq;

Veritas creata

eodemq; modo tribuitur: ita etiam *intellectus divinus non uno eodemq; modo est cuiusvis veritatis norma*: sed uti productio rei à Deo est, ita etiam secundum ideam producentis normatur rei veritas essentialis.

LIV. Sciendum est quod *productio & constitutio* attendi debeat vel *in rebus necessariis vel in contingentibus*. In illis datur vel mediata vel immediata. *Immediatè* produxit angelos & cælum: intelliges immediationem ratione termini à quo, non termini *cum quo*. Et inde harum rerum veritas immediatè refertur ad intellectum Dei seu suam normam. *Mediata productio* cernitur undiquaq; *in causis particularibus*. Unde & res ita productæ mediatè referuntur ad intellectum divinum, nimirum mediante *ratione Seminali*, quam inferioribus causis Deus impressit. Cum qua res si congruit, vera est, si ab eadem deviat, error commissus est. Sic quando monstrum nascitur, tum in natura commissus est error, quia factus est recessus à ratione ista Seminali, quem insequitur malum naturale.

LV. De hisce *rebus naturalibus* rectè monet Dn. Jac. Mart. *diff. Met. 4.* quod istas earumq; Veritatem uti ex intellectu divino metimur: ita rectè necessarias dicimus, quippe ab hominis arbitrio non pendent, sed vel in natura sunt, vel à natura producuntur.

LVI. Præterea *Contingentium productio* ut variat, ita & diversimodè referuntur ad intellectum divinum. Sunt vero *res contingentes vel Morales vel Artificiales*. Illæ quoad proximam suam normam dicuntur veræ, quando *congrunt cum lege naturæ & recta ratione*. Et ita etiam mediate congruunt cum idea divina, à qua esse habet lex naturæ & recta ratio.

LVII. Similiter *res Artificiales* immediatè referuntur ad ideam artificis, juxta quam effinguntur, sed ad intellectum divinum referuntur *mediantibus aliis, nempe Imitatione*,
quæ

quæ contemplando res alias peragitur. Omne namq; artificiale præsupponit quandam imitationem à rebus ipsis de-
promitam, quæ contingit vel *representativè* vel *significativè*.
*Illo modo fit quando rem corporaliter existentem represento per
figuram & quantitatem externam.* E. g. quando pingo homi-
nem vel leonem: item si instrumento affabrè facto sistatur
accidens, ut motus solis in horologio. Vide Dn. Gutk. disp.
4. contemp. Met. th. 115. *Significativè fit imitatio, quando actum
aliquem spirituales reflexam tamen alicui sisto signis.* Ut dis-
cursus vel habitus mentis potest significari scripto & literis.
In his E. nulla ars consistit, ut delirant Ramistæ, sed *saltem si-
gnum istius artis in mente.* Et hæc per artem ita repræsen-
tata & significata referuntur ad intellectum Dei, nempe qua-
tenus artifex mente sua contemplatur & effigiat illa ipsa, quæ
Deus naturæ incidit, & sic divinæ imaginis imaginem expri-
mit. Loquor de artificio vero, nam si aberratio contingat, il-
la ut fit ratione non entis, ita nec veritatem Entitativam ob-
tinet, nec normam requirit.

LIIIX. Sed hæc de Quiditate Veri ejusq; normâ: nunc
proprietates Veri se offerunt, quales sunt *reciprocatio*, ut nimi-
rum Veritas sit in tot subjectis, in quot reperitur Entitas, &
*Distinctio qua ratione ratiocinatâ sive formaliter differt Ve-
ritas ab ente.*

LIX. *Distinctiones Veri* etiam variæ solent tradi. Quod
nimirum *Veritas* alia sit *Metaphysica*, alia *Ethica*, quæ alias *Ve-
racitas* dicitur & ἀλήθεια: alia sit *Necessaria*, alia *contingens*:
alia sit *equalis*, quæ in carentia falsitatis convenit cum aliâ:
alia sit *inequalis*, quæ in esse veriori fundatur, quam hæc vel
illa: alia sit *complexa* alia *incomplexa*: alia *nota*, alia *ignota*
&c. de quibus consulantur Metaphysici accuratiores: Dn.
*Jac. Mart. in part. Metaph. sect. 5. lib. 1. Dn. Gutk. contemp.
Metaph. disp. 4. Suarez disp. 8. Combachius c. 6. Metaph. Fonse-
ca, Gilbertus Jacchæus, Favellus, Arniseo, Cornelius Marini &c.*

Veritas in essendo

Veritas in significando

in naturalibus

in locutione
significatione
electione

Quid!

LX. Nos hac vice potiores saltem expediemus. Usitatissima est distinctio, quâ Veritas dicitur vel in Essendo, vel in significando, vel in cognoscendo. *Veritas in Essendo* est ipsa rei veritas, quæ & Metaphysica & Transcendentalis dicitur: de qua satis est dictum in superioribus.

LXI. *Veritas in significando* consistit in rerum nominibus, ut inquit Gutk. disp. 4. th. 19. Paulo fufius hac de Veritate differit Dn. Jac. Mart. in prelect. Metaph. pub. lib. 1. c. 9. quando docet 1. quod Veritas in significando sit illa, quæ proprie reperitur in signis naturalibus, in quibus significatio secundum se spectata semper est vera. Hæc n. si vera non est, planè non est, quia in re ipsa non existit, licet fortè cogitetur. At cogitari illud est fingi, & fictio illa est ficta, & sic nulla significatio. Sic Iris est signum pluvix & verum. 2. Reperiatur in locutione & scriptione aut quacunq; simili significatione ad placitum ut in vocibus articulatis. Ubi *Veritas in significando* nihil aliud est, quàm conformitas significationis ad rem significatam: non quidem ut res in se est, sed prout objicitur conceptui significati & objiciendo illam menti alterius, cui aliquid significamus, atque hoc est, quod vulgo dici solet. *Voces & alia ejusmodi significare formales conceptus & exprimere objectivos.*

LXII. Huc refert idem *Veritatem Moralem*, quæ est virtus in voluntate existens ordinata ad verum semper loquendum & dicendum juxta mentem: Hæc scilicet supponit veritatem locutionis, quæ est illius objectum, cujus uberior consideratio spectat ad Ethicam.

LXIII. *Norma Veritatis in significando sunt res ipsæ*: Efficiens vero vel dirigens norma est *intellectus potentia*, quæ in conceptibus & significationibus formandis semper res ipsas intueri debet, cum ab ipsis determinetur & limitetur: uti cum primis elucescit in prima conceptuum impositione. Dn. Gutk. Contempl. Met. disp. 4. thes. 23. Sed de Veritate in significando non opus est, ut plura addantur, cum in quibusdam si-

20/2/2

dam signis nihil ferè aliud sit, quam eorum *transcendentalis* veritas: in aliis vero tota procedat à veritate in cognoscendo, eamq; supponat, cum nemo queat ex propria intentione & voluntate alicui dicere & significare vera, nisi ea præcognoscat.

LXIV. *Veritas in cognoscendo* est in conceptibus rerum vel in intellectu res percipiente, vel potius in ipsa perceptione intellectus. Negat quidem hanc cognoscendi Veritatem Durandus 1. de. 19. q. 5. ejusq; opinionem probabiliter tuetur Soncinas 6. Metaph. q. 16. condit. 3. *formaliter existere in intellectu*: Statuens quod nihil aliud sit, quàm convenientia objecti externi ad se ipsum per actum intellectus collati: rectè tamen illum refutant Ægid. Rom. quodl. 4. q. 7. Flandr. 6. Metaphys. q. 13. a. 3. Suarez disp. 8. sect. 1. & probant, quod Veritas cognoscendi consistat in adæquatione intellectus cum re, ita ut *formaliter sit in ipsa intellectione mentis*.

LXV. Hinc definitur *Veritas cognitionis*, quod sit *conformitas intellectus cum re*, ut quando intellectus rem intra se concipit idealiter, prout realiter est in se & suo statu objectivo, tunc ipsi rei conformatur. Consistit E. illa conformitas intellectus ad rem *in similitudine*. Ubi sciendum, quod *alia similitudo sit in essendo*, quæ fit per univocam & propriam convenientiam in ea forma, in qua ratio conformitatis & similitudinis constituitur: quomodo ovum est simile ovo: album albo: alia vero est *in representando*, quæ non fit per univocam formam, sed per ideam intentionalem, qua res sese objiciendo quasi pingit: sic idea, quæ in speculo conspicitur, *adsimilatur suo objecto*. Et talis similitudo est inter intellectum & rem cognitam. Non enim *mens nostra rebus conformatur in cognitione Vera per modum essendi, sed per assimilationem intentionaliter res representando*. Ubi ita rei objectæ conceptum formamus, ut vi talis conceptus possimus rem ipsam quasi depingere & declarare, qualis sit. Et quoad hanc si-

Veritas in cognoscendo

quod illa

Conformitas & similitudo

1.

2.

militudinem intentionalem dixit Arist. 3. de Ana. quod intellectus quodam modo sit omnia. Qua de re vide Scalig. Exerc. 307. f. 6. Suarez disp. 8. f. 3. Zab. comment. in l. Arist. 5. de An. Corn. Mart. Metaph. p. 56.

LXVI. Benè hic monet Cl. Dn. Jac. Mart. quod ista similitudo, in qua consistit Veritas cognitionis debeat esse omnimoda, quia 1. si cognitio vel minimum distat ab ista conformitate, non minus vera est, sed omninò fit falsa, unde & illud: Veritas cognitionis consistit in Indivisibili. 2. Indivisibilis fit, ita ut nihil sit in illo conceptu sive in illa cognitione, quod non correspondeat rei, licet non omnia, quæ in re sunt, statim sint in illo conceptu.

Veritas cognitionis

1. Apprehensiva

2. Judicativa

LXVII. Combach. l. Metaph. 6. c. plenius definit Veritatem cognitionis, quod sit conformitas intellectus ad rem secundum speciem à re tanquam objecto in ipso intellectu productam & ab ipso conceptam. Et illam dividit in Apprehensivam & Judicativam. Illa nudè apprehenditur res idq; vel cognitione simplici extra omnem compositionem, vel complexa per compositionem aut divisionem. Veritas autem judicativa est, qua fertur indicium de concepta veritate, idq; fit per discursum, judicaturq; & probatur, quod sit revera veritas, eaq; vel necessaria vel contingens, hoc est, an necessario vel contingenter se habeat, & in quo necessitatis gradu sit posita. Et hæc ναί ἐξοχήν dicitur Veritas cognitionis, vide ipsum ibid. Confer Suarez disp. 8. sect. 1. Gilb. Jach. instit. Metaph. l. 2. c. 10. part. Met. Dn. Jac. Mart. Dn. Gutk.

LXVIII. Deniq; Veritas in Oppositione spectatur, ubi sciendum, quod Veritati Transcendentali nihil opponatur. Tale enim non-verum esset non-ens. Interim veritati cognitionis opponitur aliquid nempe incomplexa ignorantia; & complexa falsitas, confer Exerc. Metaph. Dn. Jac. Mart. l. 1. Exerc. 16. theor. 2.

LXIX. Ignorantia privativè opponitur Vero. Nam à mente,



mente, quæ Veritatem non adsequitur in simplici apprehen-
sione, res planè non cognoscitur; & ita ibi privatio est Veri.
Quæ ignorantia vel ἀπλως & secundum puram negationem se ha-
bet, vel secundum pravam dispositionem, ut notat Arist. 1. post. A-
nal. c. 13. 14. & 15. Indeq; Dn. Jac. Mart. Inst. Logic. l. 5. c. 16.
& part. Met. sect. 5. l. 1. Gutk. disp. 4. ubi videbis plura.

LXX. Falsum quidem propriè non est in rebus, quippe o-
mne ens, in quantum ens est habet id esse, quod per suam na-
turam & juxta suam ideam debet habere. E. omne ens est ve-
rum. Interim falsitas non gratis & voluntariè fingitur, sed o-
mninò alicubi invenitur aut saltem ad summum à nobis con-
cipitur: quomodo sæpè communi omnium consensu per
multa denominantur falsa:

LXXI. Solet autem falsitas impropriè tribui rebus, ita
ut res per Metaphoram dicantur falsæ, idq; 4. modis. 1. cau-
saliter sive occasionaliter, quatenus sunt occasio falsitatis &
erroris ob similitudinem, quam habent cum re alia. Sic lux
quæ conspicitur in iride, vocatur falsus color, quia scilicet secun-
dum apparentiam valdè similis est colori vel rubro vel alte-
rius speciei. Præbet illa ratione intellectui occasionem erro-
ris & falsitatis, ut Iridi attribuat verum significatum coloris,
quod ei non convenit. Sic rubedo matutina est falsus color,
cum in se sit saltem lux mixta cum nube densa: quemadmodum
& iris tantum sunt radii reflexi, & varietates lucis, non colo-
ris vel gradus lucis ita expressi ob materiam constipatiorem.
Sed hac falsitatis denominatio planè extrinseca est & accidenta-
ria rebus, quæ juxta eam potius ignorante, quam falsa debeant vo-
cari: Intrinsecè illa falsitas in solo est intellectu vel potius
in aliqua ejus compositione, per quam tribuit rei alienum
conceptum. 2. Res falsa dicitur, quia est objectum enunciatio-
nis falsæ, quod tamen objectum non est ex parte rei, sed tan-
tum in mente. Sic chymera dicitur falsum quiddam substantia-
le: quia est objectum falsæ opinionis, quod nimirum chymera

Res quæ falsa

fit quadam substantia ex variis illis & impossibilibus partibus
diversarum specierum, ut hominis & leonis, equi, composita.
Sic & Idolum dicitur falsus Deus: quod planè non est Deus,
sed ob falsam opinionem ita dicitur falsò: ideoq; idolum non
est in re ipsa, sed saltem in mente idololatra. Confer Suari-
um disp. 9. sect. 1. n. 13. 3. Res falsæ denominantur respectu de-
fectus sive ob carentiam perfectionis: vel ob recessum à perfecta
& integra adæquatione ad mensuram, cui debebat conformari:
sic monstra dicuntur falsæ res naturales, sic & actus morales
dicuntur falsi, prout à regulis prudentiæ & aliis discordant:
itemq; & artificiales, ut picturæ deformes. Sed & hæc deno-
minatio est impropria & Metaphorica. Potius enim debebant
dici Imperfectæ res seu defectuosæ, incongruæ & malæ aut pra-
væ sive in genere naturæ, sive moris, sive artificii.

LXXII. Quia E. extra mentem in rebus non existit falsi-
tas, necessum est, ut sit in intellectu aberrante circa rem:
quatenus nempe is in suis operationibus vel conceptibus
non adsequitur id, quod de se ex parte rei est. Ubi omninò
dicendum, quod falsitas, licet propriè non sit in simplici mentis
apprehensione: sic enim ibi potius ignorantia est, ubi non ad-
sequitur id, quod rei est: sit propriè in compositione & divisio-
ne intellectus. Quando nempe mens natura aliter res com-
ponit, atq; sunt extra mentem juxta suam naturam, tum illas
componit contra naturam rerum, & ita falsitas consurgit in
mentis operatione complexa. Qua de re fusius vide dispu-
tantem Suarez disp. Met. 9. s. 1. n. 14. 17. & c. Dn. Jac. Mart. in
part. Metaph. sect. 5. l. 1. q. 10. & 11. Combachius c. 6. lib. Metaph.

LXXIII. Et hinc oriuntur falsæ annunciationes, falsæq;
definitiones. Hinc & falsa quædam fiunt possibilis, quæ tamen
sine destructione & repugnantia naturæ suæ possint esse ve-
ra: quædam verò falsa sunt impossibilia, quæ ob implicatio-
nem esse & non esse planè nec esse possunt vera: quæ specia-
tim dici solent absurda, ut rectè notat Dn. Jac. Mart. in part.
Metaph. l. 1. sect. 5. th. 18. Sed hæc de Veritate ejusq; opposi-
to quæ theses.

Usus &

falsa T

—

—

Usus & Abusus doctrinae de Vero & Falso.

Usus hujus disputationis in philosophiâ immensus est. Ibi namq; nō modò scire incumbit, quod *res sint verae*, yel quod sententiæ de hac vel illa re sint verae, sed omninò tenendum, *cur verae sint, vel cur opinio hac vel illa sit falsa*. Quod vix assequeris, nisi ex hac doctrina cognoveris, *in quonam veritas rei vel cognitionis consistat, unde normetur & exigatur*. Non dicam de aliis commoditatibus ex hac disputatione in philosophicas contemplationes abunde resultantibus, cum per se sua luce ubivis commendabiliter splendeant. Hoc tamen reticere non possum, quod ex accurata doctrinâ Veritatis *in disputationibus* efflorescit: quando scimus quod *veritas importat omnimodam conformitatem sui ad suam propriam ideam vel normam, ita ut indivisibiliter concordet cum sua norma*. Inde disces quod ad veram cognitionem sive ad veritatem aliqujus conceptus requiratur, ut nihil repræsentet præter suum objectum, si namq; aliquid admiscetur, quod in objecto non est; jam iste conceptus divisus est in congruentiam & disconvenientiam, & sic Unitas ejus, adeoq; & veritas ejus tollitur. E.g. qui *de homine cognoscit*, quod sit rationalis, quod sit *agens liberum*, quod sit *optima creatura Dei*, illa *cognitio omninò vera est*, cum dicat conformitatem intellectus cum re, nim. cum materia hominis, licet ista cognitio nō in se comprehendat, quod *homo ex se non percipiat ea, quæ sunt spiritus*, quod *homo non habeat liberum arbitrium in spiritualibus*: item quod *homo à natura sit filius iræ*: licet inquam hæc non comprehendat illa cognitio de homine; tamen illa manet vera. Nam qui hominem cognoscit, & cognoscendo dicit, quod sit rationalis, verum de homine cognoscit & dicit, quia id, quod cognoscit, revera est in homine. Licet vero *alio conceptu* fingat hominem non esse filium iræ à natura (prout scilicet jam est) item hominem ex se posse intelligere mysteria spiritus:

Spiritus; id jam non tollit veritatem conceptus precedentis, cum non sit pars ejus, sed planè alius diversus & novus conceptus. Licet enim in re ipsa illa omnia conjungantur nempe in homine, qui cognoscitur; tamen in cognitione rei vera non semper conjunguntur. Neq; vero hoc opus est, ut omnia, quæ in re sunt, in quovis conceptu rei vero involvantur. Unus enim & determinatus distinctusq; conceptus, habet unum determinatum & distinctum objectum, quod quando indivisibiliter representat, omnino verus dicitur, licet alia multa relinquuntur in illa ipsa re, quæ in illo unico conceptu vero non sint, aut represententur, sic qui solem cognoscit, quod sit planeta, is habet veram cognitionem de sole, licet is non cognoscat, quod sit essentia quinta & aetherea. Imo illa cognitio de sole, qua sol cognoscitur ut planeta, est manetq; vera, si maximè idem alio conceptu fingat solem esse naturæ elementaris, itemq; solem stare & non moveri: quia scilicet hic est alia cognitio, quæ quia habet difformitatem cum re, falsa fit, sed prior inde non fit falsa, cum retineat suam conformitatem cum natura solis. Sed, inquis, est contradictio in adjecto, cum sol in sua essentia non sit elementaris, neq; etiam stet, sed moveatur. Verum attendes & distingues inter rem ipsam & inter rei cognitionem. Rei ejusmodi homo contradicit, sed sibi non contradicit. Potest enim homo, qui solem cognoscit, ut planetam, nescire quod ille ipse sol etiam sit naturæ diversæ ab elementari: itemq; potest nescire, quod moveatur, ut ita nescienter saltem sibi contradicat. E. illa contradictio non debet referri ad cognitionis Veritatem, sed ad ignorantiam & falsam opinionem, quam aliquis habet pro vera. Et hinc apparet ratio cur sæpè disputemus ab absurdo. Hoc scilicet non fieret, si adversarius illam contradictionem & absurditatem agnosceret: sed idèò tentamus, ut ad cognitionem istius contradictionis deducamus adversarium: utq; iste verum conceptum à falso rectè discernat. Hæc sanè omnia, quando caute observantur
in di-

in disputationibus, insignem spirant utilitatem. Ostendunt
quæ rectè distinguamus *inter conceptus veros & falsos, ipso-
rumq; mutuam destructionem, quod ea fiat per oppositionem,
contradictoriam.* Non enim is statim sibi contradicit, qui
hoc cognoscit adsertivè, & aliud de eadem re opinatur ne-
gativè. Etenim *aliud est simpliciter quid affirmare aut nega-
re, itemq; aliud est affirmativas illas & negativas adsertiones
invicem opponere.* Illud non statim infert oppositionem in
cognitione, sed ut quis delabatur ab affirmatione & nega-
tione in oppositionem & contradictionem, eam rectè agno-
scendo; adhuc requiritur *media collatio quadam & cognitio
affirmationis & negationis,* ut hac de re in Logicis aliàs ube-
rius docetur. Inde jam abunde apparet, quod *fieri possit, ut
aliquis rei contradicat, licet sibi ipsi non contradicat.* Et hæc,
quæ nunc ita monentur, non modo in philosophicis dispu-
tationibus usum obtinent maximum, sed etiam in Theolo-
gicis: ut scilicet sciamus, quando & quomodo aliquis sibi
contradicat, & absurdum defendat. Sanè experientia testa-
tur, quod multi multis tribuant *contradictionem & ita absur-
ditatem sæpè maximam:* ubi tamen illam hîc non expressè
ponat, sed alter *ex hypothesebus istis colligat:* indeq; sæpè fit,
ut injuria maxima alicui fiat: *non quidem quod illud absurdum
ex premissis ejus non sequatur, sed propterea, quod huic ejusmo-
di absurditatis cognitio & assertio affingatur.* E. g. Calviniani
dant nobis hypotheses, ex quibus nos colligimus absurdum:
Deum esse autorem peccati. Quod quidem *ex illis verè sequitur,*
sed si quis inde (tantum ex illis hypothesebus) velit adserere,
quod ipsi hoc absurdum *serio & reverà statuunt,* is utiq; inju-
riam ipsis faceret. Quando quidem *fieri potest, ut defectus sit
in cognitione, nimirum quod ipsi illam consequentiam non
deant, & sic illud absurdum & contradictionem non agno-
seant.* Ut accuratè hac de re differit *Cl. Dn. Jac. Mart. in præ-
lect. Metaph. de Verò & falso.*

E

Porro

Porro doctrina de Veritate usum habet in Theologia, ut verè & distinctè intelligamus istas adsertiones, quando credimus, quod Christus sit *verus homo*, & *verus Deus*, item quod in sacra Synaxi sit *verum corpus Christi*. Hoc enim tunc facilius intelliges, & tutius adservabis contra adversarios, ubi hîc didiceris, in quo nam propriè Veritas rei cōsistat, & quænam res vera dicatur: nimirū *Verum corpus* & *hominem esse id, quod participat essentiam, quæ ipsi in specie sua debetur, quatenus ad intellectum ordinatur, adeoq; principiis suis essentialibus constituitur: vel quod habet illud esse, quod homo & corpus debeat habere secundum ideam suam propriam, ut illa fusius in thesibus innotuere.* Hinc intelliges, quod omninò Christus sit *verus homo* & omninò *verum corpus Christi* adsit in sacra Cœna, ubi præsupposueris fundamenta fidei ex scriptura. Neq; verò facilè turbaberis ab adversariis: quando Photiniani dicunt *Christum non esse verum hominem, quia humanitas illa Christi non sit persona.* Nam ex accurata hac doctrina patet, quod Veritas rei dicat *ipsam essentiam Entis*, & ita essentia humana sive esse hominis sit verum & essentialiter perfectum, licet sine illo modo personalitatis existat: item quando Calviniani obtendunt *in sacra cœna non esse verum corpus Christi*, ex hac doctrina respondere erit, quod sit *verum corpus, etiamsi non videatur aut palpetur*, quippe Veritas rei dicat *entitatem ipsam rei*, quæ esse potest essentialiter perfecta & vera, etiam sine istis accidentibus actualibus. Et ita in multis aliis, quia Veritas est conformitas rei (non accidentium aut modorum) cum intellectu, *semper rem ipsam introspicere debemus*, quæ quando se habet, ut debet juxta suam ideam propriam, jam est Vera res & habet verum esse, *ut ut etiam accidentia deficiant, vel variant.* Essentialis rei Veritas semper est, ubi res ipsa est. E. aut dicendum est, quod res planè non sit, aut quod sit vera. Unde & in contemplationibus accuratioribus *ipsam rei veritatem, præcisè omnib; extrinsecis,*
- primo

primo satagamus inquirere; *conceptus à se invicem distinguerè & distinctum ubiq; urgere & abstractivam cognitionem*, quod ubi negligitur, non possunt non multi commulari errores. Sed hac abrumpere cogor ob nimiam materiæ amplitudinem. Similiter doctrina *de falso* per multos usus suppedietaret recensendos: quippe inde *innotescit origo falsitatis*, quod is unicè sit in intellectu, qui fallitur in sua cognitione; quodq; ita *Deus sit veracissimus, & fallere, omnisq; erroris nescius*, quod omnis veritas à Deo, sola creatura existat erroris & falsitatis causa: sed nimis prolixum foret, omnia si vellem persequi.

Abusus deniq; utinam esset nullus, sed vel in istis Sycophantis Schillingianis & maximus & pessimus deprehenditur: ubi tum ob ignorantiam pravam, tum malitiam affectatam abutuntur hac materia. Negant etiam Philosophos philosophicè *Verum Deum* cognoscere: quia eum *non cognoscunt, ut trinum in personis*. Sed isti homines non intelligunt *naturam Veri*, de qua tamen volunt disceptare. ἀκόλυστον est, quod afferunt: Cum è dictis constet, quod *cognitio veri vera per se non involvat omnia, quæ de facto sunt in re vel objecto* quod cognoscitur. Sed oggarriunt. *Esse contradictionem si quis dicat scribatvè philosophos verum Deum cognoscere, nec tamen eum ut trinum in personis*: quippe is solus est verus Deus, qui trinus est in personis, & qui Deus non est trinus in personis, non est verus Deus. Verum addiscant isti homunciones *Veritatem cognitionis discernere à veritate rei*: & sciant, quod vera cognitio sit etiam illa, quæ tamen non omnia, quæ in re ipsa sunt, apprehendit & cognoscit, modo conformis sit suo objecto, quod præcisè cognoscit. Deinde sciant quod *confusa cognitio & imperfecta*, etiam sit vera cognitio rei veræ, ubi quia confusam profitetur Philosophus notitiam Dei naturalem, eo ipso non debet omnia quæ Dei sunt, cognoscere. Ergo Verum Deum cognoscit, licet non omnia



naturaliter prospiciat, quæ sunt veri Dei, illius nimirum, quem confusè cognoscit. Sed manum de tabula.

A X I O M A T A.

1. *Quod non est verum, illud ne est quidem.* Quia negata affectione adæquata, negatur & ipsum subiectum. E. cum omne Ens sit verum, id quod non est verum, planè nihil erit.

2. *Ut unumquodq; est, ita est verum.* Ar. lib. 2. Metaph. c. 1. Nam Verum ut verum consequitur Ens, ut ens. Unumquodque enim ita se habet ad verum, ut se habet ad ens, uti rectè docet Alex. de Ales 2. Metaph.

3. *Veritas rei & essentia idem sunt.* Alex. de Ales 2. Met. scilicet Veritas essendi nihil superaddit enti, nisi relationem rationis, qua conformis est essentiæ intellectui, quod habeat essentiam debitam. Unde ait idem ibidem: Verum esse nihil aliud, est quàm rem habentem essentiam, participare essentiam, puta illam ipsam, quæ ipsi in sua specie debetur.

4. *Veritas est adæquatio rei & intellectus.* Alex. de Ales 6. Met. Ut enim notum est ex thesibus, consistit in conformitate essentiæ ad intellectum. Idem & Albertus Magnus in 3. An. tract. 2. ait. Veritas est adæquatio rerum & intellectus.

5. *Verum omne ex hoc est verum, quia aliquomodo adsequitur primum verum.* Alex. de Ales 2. Met. scilicet, ut omne Ens extra Deum esse habet à Deo, ita etiam verum esse. E. debet habere illud esse, quod Deus voluit ut habeat. E. debet ens verum adæquari Dei intellectui, & ita aliquo modo per correspondentiam ad Deum, esse Dei adsequi.

6. *Veritatis nobilioris sunt res nobilioris essentiæ.* Alex. de Ales 6. Met. quia conditio affectionis arguit conditionem subiecti. E. nobilitas affectionis infert essentiæ sive subiecti nobilitatem & excellentiam.

7. *Non est equalis omnium rerum veritas.* Quia scilicet natura

natura rerum non est aequalis. Intellige rei veritatem, prout res inter se conferuntur, non autem prout ad Deum tanquam ad unum commune exemplar conveniunt.

8. *Non omne quod apparet, verum est.* Arist. 1. top. cap. 1. & πᾶν φανόρως ἴδομαι, καὶ ἐστὶν ἄδοξον. Confer 3. Met. c. 5. lib. 9. c. 11. & 1. 3. de An. c. 6. Ficta namq; non sunt vera, ut & alia applausibilia, de quibus reperitur thes. 38.

9. Veritas una tantum est, & veritas una simpliciter tantum est. Alex. de Ales 2. Met. hoc est, quod communiter dici solet. Veritas unica & simplex est. item. Unius rei non est, nisi unica veritas. item. Plus uno verum esse nequit. Ratio est invictissima: quia 1. Veritas rei est ipsa entitas. E. ut cuiuslibet rei entitas est una, ita quoq; veritas est una sit necessum est. 2. illa una Veritas rei importat unam veritatem cognitionis & significationis. E. quia rei veritas est una, necessario etiam una erit & cognitionis Veritas, & ita consequenter etiam significationis sive ea sit in simplici, sive in composito conceptu & iudicativo, qua de re fusius paulo post in quaestionibus dicetur.

10. *Veritas est rerum, non opinionis.* Vel ut Scal. loquitur Exerc. 18. Opinio non efficit res.

11. *Veritas divinum quoddam est.* Eustr. in 1. Eth. Quandoquidem omne verum desuper à patre luminum; & prima norma veritatis est intellectus divinus, ut e thesibus innouit.

12. Veritas in Essendo distincta est à veritate in cognoscendo. Ita patet e dictis. Confer thesin 64. & 65. cum praecedentibus, ubi actum de Vero Transcendentali.

13. Intellectus noster mensuratur à rebus, non mensurat easdem: scilicet in cognoscendo. Tunc enim ipse movetur à rebus ad cognitionem imprimendo species & imaginem sui.

14. *Verum est illud, quod ita se habet in intellectu, quemadmodum extra.* Aver. in Epit. Metaph. tract. 2.

15. *Verum vero consonat.* Arist. 1. prior. Anal. c. 23. & item. *Vera veris contraria non sunt* lib. 2. $\omega\delta\epsilon\gamma\epsilon\mu$. c. 1. item *Vero consonant omnia, quæ in re sunt*: falsa cito dissonant & discrepant 1. Eth. c. 8. item *Veritas sibi semper est consentiens* Mag. in prior.

16. *Non datur duplex & contradictoria veritas.* Ratio est invicta: quia aliàs aliquid simul esset & simul non esset, quod absurdissimum. Item quia una est veritas: unum autem sibi ipsi nec contrariatur nec contradicit.

17. *Nil potest esse verum in una disciplina, & simul falsum in altera.* Ratio est, quia impossibile est idem simul esse & non esse.

18. *Antiquissimum quodq. verissimum.* Intellige $\acute{\alpha}\omega\lambda\omega\varsigma$ antiquissimum, quod enim saltem $\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}$ π antiquum est, non statim est verum.

19. *Veritatis cognitio est solutio dubitationum.* Thom. in 4. phys. lect. 5. text. 31. Unde & signum veræ definitionis poni solet, ut per eam dubia circa rem ipsam orta facillimè solvantur.

20. *Falsa nihil sunt.* Philip. 1. Dial. Exinde puta, quod propriè non dentur in rebus.

21. *Origo falsi penes animum est.* Scil. ex accidenti, quatenus intellectus non percipit res, uti in se sunt extra, ob vitium, phantasiæ, vel alio vitio intellectus.

22. *Error non est solus.* item. Nemo potest errare semel. Hinc & Versus:

Error non est solus, habent errata sequaces.

Quippe parvus error in initio, deinceps semper magis magisque causa est majorum errorum. Confer Arist. 1. de celo. c. 5.

23. *Qui falsum dicit, non statim fallit.* Unde distinguendum inter mentiri & mendacium dicere.

24. *Non est falsa oratio, nisi quis volens mentiatur.* Scal. Ex. 2. quando quidem iste putat se dicere vera: sed falsas apprehensiones, verè (uti fortè audivit vel aliàs autumat) enunciat illas apprehensiones.

Quæ.

Adeliebentfage.

QUÆSTIONES.

I.

An detur duplex & contradictoria Veritas?

Multorum iniquitas facit, ut hanc quæstionem, licet aliàs satis decisam ab aliis doctissimis viris, resumamus & tractemus uberius. Imprimis autem *quoad statum controversiæ* prænotandum est, quod de duplici veritate, quæri possit, *vel ratione diversorum objectorum* sive rerum, de quibus habetur veritas; *vel ratione ejus, qua quid unum idemque est.* Illo modo, quando quæstio volvitur, tum nemo est tam ignarus rerum omnium, qui neget duplicem veritatem. Eo namq; sensu *multiplicem, imo infinitam concedunt veritatem omnes philosophi.* Quis enim inficiabitur vel unquam abnuat infinitas & diversissimas res in hoc mundo nobis esse cognoscendas, & secundum veritatem perspiciendas. Tot E. dabunt veritates, quot objecta sive res sunt diversæ. Hinc *Veritas* dicitur alia *Theologica*, alia *Philosophica*, *Juridica*, *Medica*, *Sutoria*, *Sartoria*, *Nautica* &c. Verum quando loquimur de *veritate unius rei*, tum omninò *negatur, quod unius rei duplex detur veritas.* Ut enim quid unum; ita unam agnoscamus veritatem oportet. Et hoc vulgariè dicitur in veri verbio: ut quid unum est: ita etiam verum. Unum namq; & verum convertuntur, ita ut *plus uno verum esse nequeat.* Hoc autem sensu nonnulli duplicem veritatem introducere voluerunt, & hic status controversiæ hætenus viguit inter doctos, qui unitatem veritatis adamarunt & adhuc urgent, ut & pariter inter indoctos, qui veritatem duplicare nimio & inani ausu attentarunt. Et quod minus tolerandum *non tò duplex subordinationis* aut excellentiæ urserunt, sed planè *duplex oppositionis* ostendere voluerunt inter veritatem Philosophicam & Theologicam, ita ut unum idemq; principium philosophicum sit in philosophia verum, in Theologia vero falsum.

Quod

Quod cum non modo falsum, sed & impium & absurdum sit, omnino hac de re expedit edisserere. Hac tamen in quaestione non directe intendo, an aliquid in philosophia verum, sit falsum in Theologia. Sed simpliciter & in genere jam quero, an detur duplex & contradictoria veritas. Ubi jam praesupposito stata quaestionis non possumus non negativam hujus quaestionis partem assumere. Rationes afferre possunt bene multa & invicta, uti *Dn. D. Gravverus Theologus* ille & Philosophus magnus fusius & accuratius disputat in tractatu de *synopl. veritate*. Item *Clar. Dominus Jac. Mart. Dn. Cornel. Mart. &c.* Sed breviter ita ponimus: *Unius non est multiplex, sed una veritas. E. nullo modo vel contraria vel contradictoria.* Hac thesis nostra directe negat quaestionem propositam. Hanc E. ut obtineamus de laborandum erit. Distincte ut hic progrediamur, notabis & subjectum hujus assertionis & praedicatum. Praedicatum, quod affirmatur de uno, est veritas, ubi recognosces ex thesibus, quod verum esse sit alicui conforme esse. *Res igitur vera dicitur*, quando conformis est intellectui divino, qui rem illam produxit, & cognitio vera erit, quando conformis est objecto cognito. Subjectum nostrae positae thesicos, secundum statum controversiae est *unum aliquod*. De hoc enim quaeritur *veritas, an duplex, an unica sit*. Hoc jam unum hac in quaestione potest esse triplex. Vel n. intelligitur *unum Ens* sive res unica, vel *una propositio* sive enunciatio, vel denique *unum idemq. judicium*, ut ita quaeretur: An duplex & opposita veritas detur in uno Ente, vel in uno Enunciato, vel in uno judicio. Hinc E. contra adversarios tres veniunt ponenda conclusiones, quarum prima hac est.

Unius rei & Entis unica est & simplex veritas & essentialis & cognitionis. Et hoc sole splendidissimo clarius est. Si namq. *Ens* conforme est archetypo: non potest esse difforme. E. nequit esse verum & falsum, quemadmodum hac de re ali-

re alibi in disp. Phys. egimus. *Queramus ex Schillingio*: num sit homo & verus homo, si ais Schillingi, te esse hominem, quæro ulterius esse simul non homo, vel potest ne fieri, ut simul & semel (hoc enim vera oppositio requirit) sis homo & non-homo? Quod si affirmas, te non hominem esse, re ipsa ostendis: nullo autem modo homo eris. Sis E. tu tam diu non homo, aut animal irrationale, quam diu unius entis urgere non cessas duplicem, eamq; oppositam veritatem. Nos uno verbo dicimus, ubiq; veritas se habet uno eodemque modo. Immutata namq; sunt prima philosophiæ principia: *Quodlibet est aut non est*, non autem quodlibet vel aliquid saltem & est & simul non est, unde quodlibet aut est verum, aut non verum. Non autem, ut Schillingiani ineptiunt, quoddam & est verum & simul falsum, item contradictionis altera pars est falsa, altera vera, non autem utraq; simul esse potest. Sed qui ejusmodi palpabilia absurda non videt absurdissima, nihil videt. Hinc autem, si unius rei est una veritas essentialis, etiam veritas cognitionis saltem esse potest una, quia hæc debet esse, uti res est.

2. *Unius enunciati una & simplex est veritas, non contraria, vel contradictoria.* Ratio est, quia veritas enunciati consistit in conformitate cognitionis ad res cognitæ, conceptas & per enunciationem compositas. Si namq; res extra intellectum sunt compositæ, tum etiam exinde enuntiatio affirmativa fit & est vera, hoc est, quando res mente & per enunciationem componuntur, prout extra intellectum in sese sunt compositæ, & dividuntur per enunciationem, prout in sua natura sunt divisæ, tum demum enuntiatio est vera, quia tum conformis est ipsis rebus. Hinc est, quod Logici omnes dicant *Enunciationem veram esse illam, quæ dicit & enuntiat, ut res est in sese.* At jam uti res est, tantum uno dicere potest modo, nequaquam duplici, nequaquam contrario vel contradictorio. Ratio invicta est, *quia res, uti est in sese & in*
F *sua natura.*

sua natura, omninò est una res, & uti una res est, uno tantummodo, non duplici, non contrario vel contradictorio. Deinde ita colligimus: Veritas simplicis noëmatis est tantum una, quia ab objecto vel re ipsa, quæ in se una est, normatur. Ergo etiam enunciati veritas tantum una est & simplex, quippe veritas compositionis vel compositi, postmodum fluit ex primis istis noëmatibus, quando scilicet per secundam mentis operationem componuntur. Nam compositio illa nihil est aliud, quam collatio sive conjunctio conceptus formalis & objectivi ratione identitatis, qua ostenditur intellectui eandem esse veritatem conceptus formalis & objectivi. E. g. hoc quod mente conceptum, esse equum.

3. *Judicii unius est una & simplex veritas, non opposita aut contradictoria.* Judicium ratiocinando peragitur. Ratiocinatio fit ex principiis veritatem & falsitatem de quaestione aliqua proposita probantibus. Si itaq; illa principia vera sunt, & ratiocinatio ex illis erit vera. Et jam quia veritas principiorum illorum est una, etiam judicium & ratiocinatio ex illis erit una veritas. *Veritas syllogismorum & judicii dependet è veritate enunciationum. Hæc à veritate apprehensionis simplicis. Veritas noëmatum simplicium dependet à veritate rerum ipsarum: Veritas rerum dependet à Deo, qui solus & unus fons est omnis veritatis. E. uti una est veritas (& non opposita) rerum ipsarum, quia à Deo dependent. Ita etiam veritas cognitionis simplicis una & simplex. Porrò uti veritas cognitionis simplicis est una: Sic etiam enunciatorum, quæ pendet à simplici cognitione. Et deniq; ut enunciatorum veritas est una & simplex, sic etiam ratiocinationis & judicii est una, quia ex illâ fluit. Apparet E. hinc, quod veritas omnis dependeat à re seu objecto, quod cognoscitur, & quod veritas rei dependeat à Deo. E. qui statuunt duplicem & oppositam veritatem sive in enunciato sive in judicio, illi duplicem statuunt rei ipsius veritatem; Et qui statuunt rei veritatem duplicem, in Deo & à Deo duplicem & oppositam introducunt veritatem.*
E. sta-

E. statuunt Deum in re una & eadem modo verum modo
falsum posuisse. E. Deum accusant falsitatis & mendacii. Bla-
sphemia & absurda omnia. Sit E. conclusum, quod una &
simplex detur veritas in re, in enunciato, & in iudicio. E. nul-
lo modo datur duplex & contradictoria veritas.

II.

*An Veritas cognitionis subjective sit in intellectu,
an verò in re cognita?*

Tria notentur 1. *conceptus formalis*. 2. *conceptus objectivus* sive res
prout est concepta. 3. *res ipsa*, ut est in se. Hinc dico. *Veritas est subje-*
ctive in intellectu tanquam in *subjecto inhætionis*, & *est in conceptu formali*
tanquam in *subjecto denominationis*. Nam quædam, quæ cogno-
scuntur (puta entia rationis) non habent esse reale & distinctum ab esse ob-
jectivo. E. respectu quorundam, quæ cognoscuntur, *Veritas non potest es-*
se in esse objectivo ad esse reale. Falso igitur dicunt, quod *veritas cognitionis sit*
conformitas conceptus objectivi seu rei ut est concepta, ad se ipsam ut est in se. Quod
si nonnunquam procedat, per accidens est. 2. *Objectum ut cognitum non*
potest dici conforme sibi in esse reali, nisi quia ipsa forma, qua cognoscitur, quæque
nihil aliud est quam conceptus formalis, habet immediatam conformitatem cum re-
cognita secundum se. E. in illa forma sive conceptu formali primo ac per
se est veritas in cognoscendo.

Deinde,

III.

Quid Veritas cognitionis super addat conceptui?

Non addit intrinsecum quid & absolutum; quia modo inest,
modo abest citra mutationem conceptus. Sic quando dico Petrus sedet,
id verum, eo momento, quo sedet; sed cum surgit Petrus, fit falsum, nec ta-
men inde accidit mutatio propositioni in mente, quippe propterea saltem eve-
nit, quod objectum se aliter habeat. *Non addit relationem rationis;*
quia nemine cogitante, an conceptus sit verus, inest veritas propositioni: nec
addit realem relationem; quia non dependet à termino realiter existente,
cum etiam de non ente sit vera propositio, ut cū dico, *chymera est ens fictū,*



neq; etiam præter objectum aliud quid dici potest, quod sit terminus veritatis. Licet vero veritas cognitionis importat relationem transcendentalem, in illa tamen sola non consistit, alias omnis conceptus esset verus; cum illa relatio non mutetur, si maxime objectum aliter atq; aliter se habeat. E. g. quando concipio Petrum sedere, in illa propositione manet eadem repræsentatio objecti & respectus transcendentalis, sive sedeat Petrus sive non. Hinc E. dicendum erit, quod addat conceptui veritas hoc, quod objectum ita se habeat, ut est cognitum. Et hæc est formalis ratio Veri. Ubi sciendum, quod illa denominatio sit partim extrinseca, partim Intrinsicæ. Duo scilicet requiruntur ad propositionem veram. 1. ut conceptus repræsentet objectum. Et hoc ipsi est intrinsicum: cum illa repræsentatio sit in ipso conceptu: sicuti imago, quæ in speculo repræsentat objectum, est quid in ipsa imagine, non vero in objecto. 2. ut repræsentet objectum essentielle, uti est repræsentatum. Et hoc conceptui est extrinsecum; quippe forma ista denominans est extra conceptum. Confer Suarez disp. 8. sect. 82. &c.

C O N G I A R I A.

1. *An Veritas supponatur in Ente, antequam id verè cognoscatur? A.*
2. *An Intelligibilitas sit proprietas sive prædictio Veri?*
3. *An Veritas secundum rationem sit prior suâ Intelligibilitate?*
4. *An admittendum hoc: Ratio, ob quam ens verè dicatur conceptum, est ratio Veri Transcendentalis.*

F I N I S.



AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







B.I.G.

Farbkarte #13

IONUM
SICARUM
MA
TATE
DE
TATE,
vâ dirigente
IDIO
SCHARFII
Saxonis.
COREA
fendet
ESKENIUS
s Pomeran.
boris matutinis
minore.
ERGÆ
STIANI THAM,
ypogr.
C XXIII.

8

